



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XXXXI. De Celebratione Missarum Et Sacramento Evcharistiæ Ac
Divinis Officiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

hoc tit. jam dictum, ubi etiam eodem modo diximus reconciliatum censeret cæmeterium, taliter cum Ecclesia violatum, per Ecclesie reconciliaionem) non autem vice versa violatur Ecclesia, si cæmeterium illi contiguum per se violatum fuit, ne minus dignum censeatur ad se trahere magis dignum, & accessorium principale. Quod si tamen duo sint sibi quidem coherencia cæmeteria, per murum tamen intermedium separata, etiamsi transitus ab uno ad aliud per portam aliquam pateat, non censetur alterum violatum per alterius violationem.

SUMMARIUM.

1. *Quando censeatur cæmeterium Ecclesie contiguum.*
2. *Per hoc, quod unum cæmeterium alteri violato, sit contiguum, non censetur hoc conjunctum violatum, etiamsi per unum ad alterum transitus pateat.*

Notandum primum. Cæmeterium violari eodem modo, quo Ecclesia; &

modum reconciliandi cæmeterium violatum, si non per solam reconciliaionem Ecclesie reconcilietur, eundem esse, quam supra de reconcilianda Ecclesia dedimus: contiguum autem Ecclesie dici illud cæmeterium, quod Ecclesie conjunctum est. Quod si tamen cæmeterium Ecclesie conjunctum non sit, sicuti se habet ut principale & non ut accessorium tantum, sic non violatur violata Ecclesia, prout jam dictum, sed per se tam violatur, quam reconciliatur.

Notandum secundum. Non violari cæmeterium, quod alteri violato conjunctum est, cum in tali casu neutrum respectu alterius se habeat ut accessorium, aut minus dignum, sed utrumque æque principale sit, etiamsi per unum ad alterum transitus pateat, & consequenter paries intermedium dividat, ut censeantur res diverse, prout advertit etiam *Glossa hic V. contiguum*, aliter, per hoc, quod ex uno in alterum, per portam pateat transitus, non fieri ea contigua.

**

TITULUS XXXXI.

DE CELEBRATIONE MISSARUM ET SACRAMENTO EVCHARISTIÆ AC DIVINIS OFFICIIS.



Itulorum aliquorum sequentium materia à Theologis Moralibus accuratè traditur, & eorum Titulorum Capitula utiliter quidem legi possunt, ac utilius observari debent; quia tamen nulla in illis difficultas specialis occurrit, quam non sufficienter explicatam in Theologia Morali suis locis legere potes, hinc brevi tantum com-

pendio expediendi hi tituli potius videntur quam longiore, & nihil necessaria Capitulorum explicatione.

In primo ergo Capitulo, quod est de sumptum ex consilio Agathensi, & retinetur etiam in *cap. Presbyter 32. dist. 91.* statuatur, ut horas Canonicas dicit Presbyter liberis competentibus: & quamvis ex causa simul omnes usque ad Vesperas nonè persolvere possit, & illis expediat, reg-

culuram etiam, aut alia honesta opera, quibus victum sibi, & vestitum quaerit, si necessitas urgeat, exercere possit, ut necessitatibus tamen peregrinorum, subinde ferius adventantium, ac infirmorum, subinde subita infirmitate oppressorum succurrere possit, jejuniis permanere jubetur usque ad statutam horam.

In secundo Capitulo, quod est desumptum ex Concilio Triburienſi, reprehenduntur illi Laici, qui per singulos dies Missas sibi peculiare votivas legi volunt (ex superstitione aliqua devotione, quasi meliores essent tales missae votivae, quam sit ea, quae pro temporis ratione de feria dici deberet) & hoc fieri prohibetur. Quid tamen hac in re circa Missas votivas liceat, docent Sacerdotes quemlibet Rubricae generales Missalis Romani, quarum observatio etiam cum nausca quorundam saecularium, ut & Capitulo hujus observatio diligens haberi debet.

In tertio Capitulo, mandat quidem Pontifex Innocentius III, ut ne plures Missae ab eodem Sacerdote eodem die dicantur, diem tamen Nativitatis Domini, & casum necessitatis excipit, modò celebraturus sit jejuniis: de prioris casu res certa est; de posteriore Episcopus judicat, aut recepta consuetudo.

In quarto Capitulo statuitur, quomodo sit ordinanda Missa, quoad dicendum Hymnum Angelicum Gloria in Excelsis, Symbolum Apostolorum, Credo, & Praefationem propriam, ac Hymnum Te Deum laudamus.

In quinto Capitulo statuitur, quid de vino ablutionis, & purificandis digitis sit sentiendum.

In sexto de verbis Canonis quid sentiendum, Archiepiscopo Lugdunensi ab Innocentio III. rescribitur; & quòd in sacra Eucharistia haec tria diligenter distinguenda sint, forma scilicet Eucharistiae, sive species Eucharisticae, quae Sacramentum tantum dicuntur; Corpus & Sanguis Christi, quae sunt res & Sacramentum; ac virtus sive effectus Sacramenti, quae dicitur

res Sacramenti; & quid sentiendum de controversia, utrum aqua affusa vino in Consecratione Calicis immediatè in Sanguinem, vel prius in Vinum, & tum in Sanguinem convertatur, vel in Calice immutata circumfusa Sanguini maneat.

In septimo statuitur, quòd Sacerdos gravius peccet, si ceterò celebrando, omittendo v. g. verba consecrationis, quam qui in peccato mortali verè celebrat.

In Capitulo octavo declarat Pontifex Innocentius III, contra Arianos Christum esse verum Deum; & contra Manichaeos, quòd phantastico corpore non constet, sed verus homo sit; & quòd ex latere Christi vera aqua, & non tantum phlegma profluxerit.

In Capitulo nono, multa utilissima statuuntur, quae circa divina officia peragenda, & Clericorum mores observanda sunt; quae distinctè sub poena inferendae suspensionis praecipuntur, & prohibentur.

In Capitulo decimo, custodiam accuratam SS. Eucharistiae praecipit Sacerdotibus Honorius III, ac decentem ad aegros deportationem; plebi verò omni debitam tanto Sacramento reverentiam sub poenae arbitrariae periculo.

In Capitulo undecimo statuitur in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis, ubi plures sunt Sacerdotes, duas Missas esse dicendas, unam pro Anniversario Defunctorum; alteram de festo, vel de feria, secundum congruentiam temporis: consulenda est tamen consuetudo.

In Capitulo duodecimo asseritur, Episcopo tantum concessum esse in Coena Domini, ut Missam in sua Ecclesia Cathedrali celebret, & Christma conficiat.

In Capitulo decimo tertio statuitur, quòd in sacrificio Missae, secundum generalem consuetudinem Ecclesiae, aqua quidem affundi debeat vino consecrando (non quidem ex necessitate Sacramenti, sed ex praeccepto Ecclesiastico) in minore tamen quantitate, quam vinum.

In Capitulo decimo quarto denique statuitur in illos Sacerdotes pœna, qui in pane fermentato, si Sacerdos sit Latinus, in

calice ligneo, sine lumine, & aqua non admixta vino &c. præsumptuosè celebrat &c.

TITULUS XLII. DE BAPTISMO ET EIUS EFFECTU.

IN Capitulo primo dicitur non sufficere ad valorem Baptismi, ter immersum fuisse baptizandum, formam tamen legitimam non fuisse pronuntiatam.

In Capitulo secundo agitur de Baptismo sub conditione administrando, si probabile dubium sit de collato olim validè Baptismo.

In Capitulo tertio agitur de effectu Baptismi; etiam in eo casu, quo quis violenter ad Baptismum trahitur; aut in eo casu, quo quis nullo modo consentit, sive deinde in somno, sive amentia Baptismum suscipiat.

In Capitulo quarto dicitur, quod nemo possit seipsum baptizare, etiam in cala- cessitatis.

In Capitulo quinto asserit Innocentius III. parvulos illos non esse baptizatos, quos ob defectum aquæ in capite & pedibus ac inter scapulas, salivæ asperzione, hinc- runt simplices aliqui.

In sexto denique Capitulo prohibet Innocentius III. in Concilio Lateranensi sub pœna excommunicationis & suspensionis, ne Græci reputent altaria inquinata, in quibus latini Sacerdotes celebrant, &c. nisi laventur, ad sacrificandum violata, & ne baptizatos à Latinis, rebaptizare præsumant.

TITULUS XLIII. DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

IN primo Capitulo asseritur, Presbyterum, qui post sui ordinationem se baptizatum non esse, deprehendit, baptizandum, & iterum ordinandum esse, vel si ordinari nolit, ut Laicum manere, & matrimonium validè contrahere posse; tum quod Baptismus prima sit Sacramentorum janua, tum quod nullo impedimento dirimente matrimonium, in tali casu nulliter factæ ordinationis, teneatur; ob votum tamen simplex castitatis,

quod fecisse censetur, suscipiendo Presbyteratum, licitè non contrahet.

In secundo Capitulo dicitur, quod etiam, qui non est baptizatus (Baptismo Fluminis scilicet) salvari possit, si in fide sanctæ Matris Ecclesiæ, & Confessione Nominis Christi in Charitate decesserit, ob Baptismum Fluminis, qui ad salutem in tali casu illis sufficit.

In tertio Capitulo denique habetur, quod non baptizatus (Baptismo Fluminis) ritè baptizari debeat, & post longiorum disputationem, utrùm ad Ordines, quos